

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1764**

Albertus

[urn:nbn:de:bsz:31-295098](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295098)

## CAPUT II.

## ALBERTUS.

## §. I.



Triennio junior natus frater Christophori fuit Albertus, natus die 25. Jan. A. 1455. fidus fratris Achates. Alberti gesta.

A. 1473. magno illi apud Treviros Conventui inter Fridericum IV. Imp. & Carolum Burgundiæ Ducem, (a) ut & institutis anno insequenti Comitibus Augustanis cum Christophoro interfuit; (b) biennioque post, eodem focio, super fabricam communis monetæ cum Comitibus Wirtenbergæ conventionem inivit.

Tom. II.

Oo

(a) BROWERUS *Annal. Trevir.* Lib. XIX. pag. 302.(b) LEHMANNUS *Chron. Spir.* Lib. VII. Cap. 113. p. 901.

ALBERT.

Extincto Carolo I. patre, Marchionatus regimen Christophoro fratri per sexennium soli permisit. A. 1482. divisit cum eo terras, accepit Hachbergam, quam eidem denique, reservatis sibi annuatim mille florenis, iterum soli reliquit. (c)

Post hæc Albertus noster cognati sui Sigismundi Austriæ Archiducis, apud Tirolenses regnantis, secutus est aulam; Hohenbergici Comitatus ab eo Rector creatus.

A. 1486. Fridericum IV. Imp. & Maximilianum, Francofurti Romanorum Regem electum, ad Regiam coronationem Aquisgranum comitatus est, ubi a novo Rege ritu solenni receptus est Eques; (d) annoque sequenti Comitibus Norimbergensibus interfuit. (e)

## §. II.

Obitus. A. 1488. in auxilium Maximiliani Romanorum Regis, quem Flandrenses rebelles captivum tenuerant, una cum Chri-

(c) Vide supra in Christophoro.

(d) HERZOG. Chron. Alsat. Lib. II. pag. 136. FUGGER. Spec. Austr. Lib. V. Cap. 33. p. 954.

(e) FUGGER. loc. alleg. Cap. 37. pag. 975.

stophoro fratre festinans, in oppugnatione oppidi Damm, quam Maximilianus ei commiserat, d. 18. Julii, sclopeti ictu periit. (f)

Corpus ejus Graviæ apud Brabantos depositum, atque deinceps translatum est Badam. (g)

Tredecim annorum juvenis, cum Susanna, Johannis Comitis Nassovio-Saræpontani, Walramianæ lineæ, desponsatus est filia A. 1469. In dotem promissi sunt sponsæ decem mille

Tom. II.

O o 2

(f) IDEM loco alleg. p. 1002. PONTUS HEUTERUS *Rerum Austr.* Lib. III. Cap. XI. erronee Christophorum tum cecidisse scribit.

(g) Monumenti ejus sepulcralis inscriptio hæc est „Anno-Domini 1488. X.  
 „ Cal. Aug. Illustris Princeps Dominus Albertus, Marchio Bad. in expeditione contra Brugenses liberandi Rom. Regis gratia in oppugnatione oppidi Damm jactu lethiferi teli mortem obiit., HERZOG. *Chron. Alsat.* Lib. VII. pag. 36. indicat *Sapidi Selestad. Consolationem de morte Alberti, Marchionis Badensis, ad Guilielmum Boecklin, præfectum Rubeaquensem.* Tractatus hic A. 1544. impressus est Argentorati, ubi Sapidus floruit. GESNER, in *Biblioth.* p. 494.

ALBERT.

floreni Rhenenses. (*h*) Sponsalia, interveniente Alberti morte, caruerunt successu. Johanni Seniore, Comiti Palatino Simmerensi, Friderici filio, dein nupsit Susanna.

(*h*) Charta extat in Tabulario Bada-Badenfi.

